

Quaestio medica ... anno 1765 : An lui venereae sublimatum corrosivum? / [Proponebat F. Vicq d'Azyr].

Contributors

Guilbert, Louis Claude.
Vicq-d'Azyr, M. (Félix), 1748-1794.
Macquer, Pierre Joseph, 1718-1784.
Université de Paris.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rdpx3kej>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ
mensis Januarii, anno Domini M. D C C. LXXIV.*

M. PETRO-JOSEPHO MACQUER, Regiae Scientiarum Academiac
Taurinensis & Parisiensis Socio, Censore Regio, Chemicæ in Horto
Regio Professore à Rege designato, Doctore Medico, Præside.

An lui Venereæ sublimatum corrosivum?

I.

QUEBEM ferè universum devastabat venerea lues, & novis quotidiè famosa funeribus, quæfitas irridebat artes, cùm celeberrimus Medicus Carpi, hujus pestis antidotum in Mercurio detexit. Jam evanescere incipiebat opinio, quæ mineralem illam substantiam inter venena recensebat & in cutis defœdationibus, quantâ cum utilitate adhiberetur, Arabum schola docuerat. Abscissum itaq; quodammodo apparuit humanitatis illud flagellum, & mercurialis unguenti applicatio, ad fugandos tristes errabundæ veneris effectus, diù, solaque invluit. Sed ab interno mercurii usu, majora adhuc commoda sperantes Medici, ipsum etiam in substantiâ farinâ, saccharo, aut therebentinâ extinctum suaserunt, donec, prælucente Chemicæ face, audaciores facti, mercurialium productorum vires etiam experiri suscepint. Tantâ vi pollebant omnes illæ præparations, & præcipue quæ ex unione mercurii cum variis acidis mineralibus emergebant, ut quibus mediis edulcorarentur, follicitè investigaverint. Dùm verò drafticam ipsarum qualitatem infringere, multo labore conabantur, omnis earum virtus evanescet, & illa tantum, quæ minerali propria erat substantiæ, reviviscebatur; aut cùm parva in ipsis mercurii quantitas ingredetur, ut inefficaces in luis venereæ curâ, ablegatae fuerunt. Inter eas causticâ vi horrendum distinguebatur sublimatum corrosivum. Scelestis tantum manibus destinatum, ab omnibus ferè habebatur; cum (hærentibus præ stupore animis) in immortalis Boerhavii Chemicâ legeretur, metallicum illud sal, in morbis insanabilibus plurimis, mira esse patraturum. Eruditissimi illius Medici prudentia, cognita in omnibus artis suæ doctrina, ipsum temeritate, aut ignorantia incusare non sinebant. Sublimati igitur vires experimentis confirmare allaboraverunt celebres in arte viri, & in siphylidis curatione viætricia præcipue suppeditaverunt auxilia. Et revera, tetram illam luem eradicare debet illa præparatio si itâ edulcorari possit, ut ingestâ, deleterii ex ipsâ nulli sobolescant effectus, & specifica mercurii vis in ea magis adhuc exaltetur.

II.

QUI potentioribus remediis morbos depellere satagit, eorum naturam calleat, necessum est. Perpendamus igitur quid sit sublimatum corrosivum, & undè sua procedat caustica qualitas.

Sublimatum namque corrosivum est sal cum excessu acidi, exurgens ex connubio acidi marini cum mercurio. Acida autem omnia, sicut ipsa nobis suppeditat distillatio, adeò caustica sunt, ut partes corporis quibus applicantur, corrodere valeant, & eò major est eorum deleteria virtus, quò magis suo phelmate spoliantur. Metallis injecta

* Auctore M. GUILBERT, anno 1765.



ipsa dissolvunt, & , ulteriori elaboratione , cum ipsis varia salia constituunt , magis aut minus caustica , solubilia.

Cum autem ratione dephlegmationis , crescant liquoris acidi causticæ vires , quò major humidi quantitas ipsi restituetur, eò magis etiam decrescere debent , & si non absolutè evanescant , insensiles adeò fieri possunt , ut tunc corpora quæ tangunt , non amplius destruere , vix quidem gustus organum ferire queant.

Tali sub formâ considerati isti liquores , jucunda quam linguae imprimunt sensatio , & ipsius similitudo cum acido sapore, fructuum quos, æstuante Sirio , tam liberali manu profundit natura , Medicos impulere , ut ipsorum internè sumptorum virtutes experientur. In ipsis brevi detecta fuit eadem quæ fructibus horæis propria est antiseptica , temperans , refrigeransque virtus ægris optatam opem præcipue ferens , in ardoribus quorum fomes erat putrida colluvies. Hinc acida mineralia nullo modo essentialiter esse venenosa innotuit , quamvis periculosiora ex ipsis erui possint deleteria. Dùm enim in maximâ eorum concentratione , mineralibus sociantur particulis , graviora adhuc evadunt , & eorum tunc corrosiva vis eminet. Mercurio nupta , variis , ut jam retulimus , originem præbent mixtis , quæ ab acidis tantum suam mutuantur causticam facultatem , In mercurio namque nullo imprimis adulteratum connubio , corrosivam vim existere , numquam experientia docuit. Strages ergo quas adeò funestas edere valet sublimatum , ab acido marino pendent , & imprudenter utenti necem eò certiorem inferet , quò liquor acidus sub formâ vaporis , ignis vi , cum mercurialibus globulis sic etiam elevatis , arctiori vinculo connectitur ; sed ex eo processu sal metallicum quod emergit , in aquosis liquoribus perfectè dissolvi potest , sicque prudenter administratum , medicamentosis insignietur dotibus toxicum , quod nunc vitæ infestissimum habebatur.

III.

SI MILI enim artificio frænabitur deleteria sublimati vis , ac acidorum caustica qualitas , cum ab ipsis tantum illam mutuetur. Acida verò , ut experientia constat , in aquosis soluta liquoribus , mitescunt. Medium itaque quo sublimati vires , ut & acidorum , ad gradus componamus infinitos , ipsa nobis suppeditabit dissolutio. Tunc enim quocumque sit liquoris solventis volumen , ipsis quævis portio , soluti salis proportionatam quantitatem continet , & cum illimitata sit illa divisio , minimæ tantum partes dosis minimæ corporis soluti , viscera nostra subibunt , & sese cum lymphâ , sanguine , & humorum alveo semper immiscendo , majorem adhuc subdivisionem experientur. Sed magis causticum semper erit sublimatum , quam acidum marinum. Illius namque guttula in aquæ uncia extensa , insensibilis fere est , sublimati verò granum , in æquali aquæ quantitate , solutum , adhuc horrenda patrabit infortunia , sed solutionis ope , quantum volueris , ipsum dividere potes , & sic centesimam , ducentesimam , & millesimam quidem grani partem administrabis. Luce nonne clarius patet , sublimatum tunc nullo modo periculosum esse , & ad inertiam quidem reduci posse ; ast gradatim iterum ascendendo , dosim obtinebis quæ tutò & efficaciter usurpari poterit.

Quot & quanta commoda præstet in praxi medicamentorum solubilitas , ex his etiam innotescit , pulveres eorumque dilutio numquam tanta tamque pretiosa suppeditabunt , metallicæ namque partes , in pulvrem tenuissimum quidem reductæ , si dissolvi nequeant , nullam alterationem patientur , & ubique semper eadem erunt. Sed cum solutio , potūs quantitate , & cum liquoribus nostris miscelâ , majoris adhuc capax sit extensionis , tunc acerrimi quidem mixti particulæ , debiles tantum , sed salutares semper exerent effectus , si præcipue natales ducant è substantiis , quæ specificis instructæ virtutibus , potentiora quotidie suppeditant remedia , quorum ope deteriores morbos Medicina debellat.

IV.

UT autem dignoscamus , an sublimatum sic dissolutum , virtutibus suis non defraudetur , & dosis existat , quæ cum efficaciâ administrari possit , hic , sola consulenda venit experientia , sicut , & ipsâ ducente , medicamentorum vires inquirendæ sunt. Hic ratiocinia deficiunt , & nemo unquam , solâ ingenii acie , cuiuslibet substantiæ proprietates detexit , quin prius ipsis experimenta prodiderint.

Externè applicati cùm palàm innotescat sublimati caustica vis , latere diù non potuit. Sed suâ in aquosis solubilitate, & solutionis extensione, cum imminuita an nihilari quidem possit , internum ejus usum , & dosim quæ efficaciter agereta , experiri medicos nihil vetebat. Observationibus nostris paginam adimplere possemus ; sed cùm celebriores Europæ Medici , hujuscce remedii patronos jam sese declaraverint , quid valeret nostra authoritas ?

Ne tamen in re tam seriâ , aliquid neglexisse videamur rationes etiam , quæ felicem suffulciunt experientiam , hic subnectere liceat.

Quodcumque corpus , aliquâ virtute potens , majori , aut minori activitate pollet. In excessu semper nocet , debilitatum , inefficax est , solum præstat , inter extrema , medium. Ignis ipse rapido si volvatur turbine , vorat omnia , omnia sine igne marcescunt , moriuntur , moderatus omnia vivificat Entia. Medicamenta similiter , excessivâ si adhibeantur dosi , venena sunt ; si debiliori , inefficacia ; sola debita quantitas cùm utilitate operatur. Nemo namque sennæ libræ decoctum impunè hauriret , guttulæ quædam inutiles deprehenderentur , tres aut quatuor drachmæ commode alvum ducunt.

Cur igitur ex tam generali regulâ sublimatum exciperetur ? Quoties etiam non sine voluptatis sensu observavimus ægrotantes nostros , tertio jam die quo sublimato utebantur , ipsius grana duo cùm vix assumpserant , notabilem in omnibus mali symptomatis experiri mutationem. Quoties ulcera generationis partes depascantia , veluti incantamento , curata mirati sumus. Adeò enim est intima , & illiminata sublimati cum liquidis nostris miscela , ut statim atque fluidorum Oceanum ingreditur , omnes lymphaticæ partes cum ipsius moleculis confundentur , magis ac magis immisceantur , & partium metallicarum contractu atterantur , & dividantur. Quod ut magis adhuc inconcussum maneat , ulceris venerei naturam , & quid ad ejus curationem necessarium sit , expandere fert animus.

Dùm oestro titillata venereo genitalia turgent , & coitu impuro polluuntur , ipsum aperta subit absorventia vaia siphylitica lues ; & lympham quibus irrorantur , inficit. Viru contaminatus ille liquor , in canalibus suis hæret , ipsa distendit , & pustulam efformat , quæ debilibus vasis , & levissimâ pelle cooperta , facile disruptur. En , ulcus adeo , ex cujus superficie , vasorum apertorum osculis , acris exsudat , & semper virulentus ichor , qui ipsorum rodens extrema , in largum & profundum continuo serpit. Hocce mali genus nullâ aliâ arte certè curabitur , nisi illius lymphaticæ guttulæ , quam eructant vasorum ocula , virulentia corrigitur. Tunc enim ad cicatricem omnia natura suppeditabit. Quoties itaque in remedio internè sumpto , talis erit proprietas , ut hunc effectum , alio absque auxilio , patrare possit , afferendum erit eum ad ipsam , quam memoravimus virtutem , tantum referendum esse. Sic autem se habent sublimati virtutes , ut primis ab ipsius usu diebus sese exerant , à capite ad calcem , venerea aggrediantur symptomata , & ipsa deleant. Quòmodo autem concipiatur actio quâ virus venereum destruere valeat sublimatum , certum est quod solus contactus inter lymphaticas partes quibus siphylitica lues inheret , & mercuriales globulos , mali curam absolvere possit. Nec magna mercurii quantitas , ad hunc contactum perficiendum necessaria est , si quædam grana , sed ad infinitum divisa , eum producere queant. Mercurii namque dosis quæ hic usque ad siphylitidis curationem adhibita fuit , inefficaciam illius , quæ cum sublimato introducitur non probat , sed è contrâ quâ inutilis sit quantitas , quæ in aliis mercurium administrandi methodis fuit usitata , omnibus aperte demonstrat. Vires enim vitæ non sufficiunt , ut mercurius adeo dividatur , ac in sublimati dissolutione , sicque non sine magnâ ipsius quantitate , contactus ille generalis partes minerales inter & lymphaticas , in quo cura consistit , obtinetur.

V.

HIIS innxi principiis , varia quæ nobis proponi possunt facile diluemus objecta. Organunt enim aliqui , & clamitant , sublimatum in quibusdam corporis partibus nidiulari posse , ibique deleteriam suam vim exerere. Sed quænam est illa quantitas quâ sic i.e. conligere posse , pertimescunt. Jam una , distributione generali , totam corporis

habitudinem irroravit, altera verò per omnes sensibiles, aut insensiles effugere debuit excretiones. Fieri aliundè non potest illa collectio, quin resolvatur mercurii cum acido consortium, & illa decompositio, nullo modo nocere valet. Est enim parva mercurii, & acidi marini quantitas, nullius iactonis manifestæ capax. Omnibus aliundè notum est, nullâ certiori viâ periculosos hujuscemodum effectus enervari, quam si occurrat ipsi mixtum, quo mediante, sua operetur decompositio. Non ità verò res se haberet, & multò periculosior reverà deprehenderetur, si, ut instant alii, divortium cum liquore solvente ficeret sublimatum. Sed contrà hocce periculum sese obfirmare difficilis non est negotii. Satis enim est perpendere, hocce divortium nullâ stabilitum esse ratione, omnibusque dissolutionis notionibus obversari. A solvente liquido salia non sic descendunt, præcipue si satis extensa sit eorum dissolutio, multò minus adhuc, si solvens fluidum, sicut corporis humani liquores, perpetuò caleat, & moveatur. Sal marinus ipse, quo omnes quotidiè utimur, hujuscemodum particeps non est. In urinâ reperitur, & nemo unquam hocce sal in aliquâ corporis parte collectum observavit, quamvis tunc strages æquè funestas, ac sublimatum, ederet.

Quod verò spectat ad varias ventriculi, & intestinorum erosiones, quæ sublimati usus interni comites individuae ab aliis dicuntur, ipsis sancte asserimus, nos eas numquām observavisse. Sed caveat ab errore Medicus. Prudenter à prudente Medico tantum administretur illud remedium; abstineat, si methodum nescit. Nonne per hæc clarissimi Boerhavii verba, promulgata quasi sublimati proscriptio! Ita sanè abstineant indocti. Sed non defunt sapientes & eruditi in arte viri qui potentiora remedia tractare possunt, ipsorum natura, præparationes, & proprietates ab ipsis non ignorantur.

Obscurius ne hâc ætate, latet viscerum structura, quid possint in ingesta ipsorum motus, & actio? Nonne possumus adhuc virium vitæ & medicamentorum effectus ponderare, judicare: quare igitur salutaribus auxiliis quibus abuti poterunt imprudentes, cauti non uterentur. Aliter coerceretur ars quæ nullos limites habere debet, & ipsorum industria, quæ novis opibus illam ditare satagunt, enervaretur. His itaque rationibus, & cum omnes Europæ Academiæ sublimati successus concelebrent, experientiâ aliundè freti fidenter concludimus.

Ergo lui venereæ sublimatum corrosivum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudio LAFISSE, Chirurgiae Gallico idiomate Professor designatus.

M. Joannes-Bapt. Michael BUCQUET,

M. Dionysius PAUTIER DE LABREUILLE, S. Comitis Gallo-Provincie, Medicus Primarius.

M. Josephus - Ignatius GUILLOTIN.

M. Ambrofius - Augustus BELANGER, Serenissimæ Comitissæ Atrebatum Medicus ordinarius.

M. Natalis-Andræos-Joannes-Baptista CHESNAU.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU.

M. Franciscus - Maria LE MOINE.

M. Dionysius - Claudius DOULCET.

Proponebat Parisiis FELIX VICQ D'AZYR, Valonæus apud Constantienses; Serenissimi Comitis Atrebatum Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H 1774. A SEXTA AD MERIDIEM.